



Pict. 4<sup>o</sup> 91

L. 1  
b.

ΠΝΕΥΜΑ ΠΥΘΩΝΟΣ

JOHAN. WILH. PETERSENII

POST TEMPORA

ANCILLVLÆ PHILIPPENSIS

PAVLLO APOSTOLIS QVE

CETERIS

ODIOSISSIMUM

DE NOVO INFER

PANEGYRICO FANATICO

IOCHIVM

ALIOSQVE EVANGELII DOCTORES

PROSEQVENS

*CVI VT EXIRET*

MANDAVIT

*IVDICIVM RITE MORE SAPIENTVM*

CONSTITVTVM.

EPISCOPOLI.

MENSE IANVARIO

ANNO RESTITVTAE SALVTIS

CID ID CC XX VII

SVMTIBVS

CHRISTIANI DIADVNI BENEFICI

7

**AVGVSTO**  
SARMATVM REGI  
ELECTORI SAXONIAE  
PATRI PATRIAE  
HVIVSQVE  
MAECENATI  
CONSILII DOCTRINIS BENEFICIIS  
IN  
PATRIAM ECCLESIAM CLIENTES  
LITTERARVM CVLTORES IN PRIMIS  
BENE MERENTISSIMO  
*FELICITER DICIMVS*  
BONAM QVE VALETVDINEM  
OPTAMVS.

---

EST COPIA  
ANNO RESTITVTAE SALVTIS  
MDCCXXVI

---



AECVLIS, doctrinae causa historico-  
rum filii singulis prope sua im-  
posuere nomina; quibus cuiusque  
ætatis indolem, rerumque gesta-  
rum capita potiora tirouum ani-  
mis insinuare allaborant. Non  
negauerim, appellationes illas sæ-  
pe adæquatas haud esse: nihil im-  
pedit tamen, quo minus eas, ut  
quædam memoriæ adiumenta, in scholis retineas, iu-  
uentutique, semper ad aliquid tanquam adminiculum  
adnitenti, alacri studio tradas. Ita, si res in ecclesia  
potissimum gestas intuearis, *primum* a nato CHRI-  
STO *Saeculum* CHRISTIANVM κατ' ἐξοχήν, siue APO-  
STOLICVM: *Secundum* GNOSTICVM: *Tertium*  
NOVATIANVM: *quartum* ARIANVM: *quintum*  
PELAGIANVM & NESTORIANVM: *sextum* SEMI-  
PELAGIANVM & EPTYCHIANVM: *septimum* MO-  
NOTHELETICVM: *octauum* ICONOCLASTICVM,  
& sic reliqua non incommode sunt appellata. Sed quid

de nostro, in quo uiuimus, saeculo fiet, quaeris forsitan lector beneuole? quoniam nomine illud inter alia erit conspicuum? Nondum quidem saeculi nostri elapsum est spatium, ut adeo immatura hoc in negotio definitio & periculosa, & ualde dubia sit: parum est enim, ut non subuerti possit. Accedit, quod diuersi in diuersas abeant partes, & alii illud FANATICVM, alii PIETISTICVM, alii contra ORTHODOXVM, uocabula haec in malam detorquentes partem, alii aliter, nescio quid, uocatum iri existiment. Audiui nuper hac super re differentem emunctioris naris senem, qui haud contemnendis ex interiori nostrae ecclesiae statu depromtis euincebat rationibus, SCHISMATICVM non inepte appellandum esse nostrum saeculum. Hanc aetatem per similem esse hydrae multorum capitum Lernaeae. Sublato uno incommodo in eius locum decem aut plura alia succedere. Et licet haec ob veritatem, proh dolor! rei maxime perplacet sententia: nostrum tamen non est, iudices hac in causa nos ita gerere, ut propter ea dissentientibus dira imprecari, plumbeasque iras minari, quod nonnullos facere accepimus, conemur. Videndum potius, ne inter malleum & incudem procudentium dolos uersetur abrepti. Narrabimus autem quaedam ad hanc de lana caprina litem pertinentia paulo, ni displicet, iucundius, ut aliorum nostraeque, quam ex rixis nimium asperis hucusque contraximus, nauseae, quantum fieri poterit, medeamur: nobis scilicet non ad seuera & morosiora solum tractanda, sed etiam ad hilariora, diuerbiis adiectis animanda, animo paratis.

Quae

Quae igitur hac nostra aetate haud ita pridem acciderunt, & sic gratiam nouitatis nondum exuerunt, serene, quisquis es, uultu ex hac mea narratione accipe,

EPISCOPOLI, urbe profecto non incelebri, nuper boni publici causa diuiniore sapientiae doctores in templo pacis una conueniendi, & dispiciendi praesertim de ecclesiastico nostri uictus hac tempestate statu, salutaria consilia inierant, ea lege, ut cuius muneribus sacris exornato aditus ad hoc sapientum pateret iudicium. Dicitur dies: Sancitae colloquii charitatiui, ut ita loquar, regulae: praefinitum more Sarmatico conuentus spatium: emissi pacis nuntii: scriptae litterae, quibus inuitabantur ea, qua decebat, humanitate omnes ac singuli, ad quos hoc pertinebat negotium. Rumor huius rei, ut fieri solet, statim undiquaque erumpebat, & ut ab cunctis, ita a me, licet officio sacro publico adhuc admodum non essem, dies dictus expectabatur cupidissime. Tandem illuxit, egoque nouitate rei non minus, quam cupiditate sciendi accensus, quem exitum hic conuentus notabilis demum habiturus sit, multo mane surrexi, correptumque HILARIUM, meum contubernalem, mecum in uiam publicam duxi. Mirum dictu, quae candidatorum ibi agmina! quae concursationes! qui petulantium ferociumue proni progressus a uerbis ad uerbera! In primis mirabar quorundam importunissimorum hominum ui, precario, & clanculum certatim recta ad templum honoris tendentium, impudentiam

paene sub rusticam. Quidam largitionibus, ut in numerum patrum conscriptorum reciperentur, sibi parabant uiam, eorum redimendo nummulis oblatis uoluntates, qui obicem forsitan ponere, & aditum praecludere ualerent. Quibus contra res erat angustae domus, his ubique obstacula obiiciebantur, hinc mille ambitus technae. Nouis coniunctionibus haud pauci illos, quibus aedis custodia demandata erat, sibi conciliare nitebantur, ut per pseudochirum clam in templum honoris ingrediendi sibi facultas daretur. Ni commilitonem meum manibus apprehensum diligentius custodiuisssem, iuisset quoque, non quo erat eundum, sed quo ibatur, sequens nimirum antecedentem gregem. *Compelle illud intrare, illudq; ἐκβαλλεῖν ἐργάτας εἰς τὸν δεξιμὴν θύραν* supervacaneum ibi omnino mihi uidebatur. Vix e regione turbae plebisue furientis in loco edito constiteram, cum aduentantes **PATRES CONSCRIPTOS** eminus conspicerem. Plerique omnes, licet ob uires senio confectas & detritas aegre, pedibus tamen, modesto gradu, incedebant: alii iuniores uiribusque ualentiores lecticula concursabant, ob infirmitatem forsitan quamdam ualetudinis: alii quadrigis suis quasi triumphalibus uehebantur: alii denique utebantur equis: agmen claudebat quidam infidens mullo, aliis iumentis & vehiculo destitutus, cardinalium, ut prae se ferebat, Romanorum more: Omnes autem properabant. Exterorum aedem sacram ingredientium nomina in acta referebantur, postquam de cuiusuis patria & occupatione inquisitum esset quam diligentissime.



me. Delecti erant hoc ad negotium faciales sacri, qui singulorum, ut olim in ludis equestribus nobilitatis insignia, ita fidei lustrabant symbola. Cum maximam partem undique conuentum esset, familiari, HILARIO meo, precibus me suis nimium obtudenti, diutius resistere non potui, sed comitem quieto secutus sum & placido gradu, quamvis me manu apprehensum ad aedes sacratas propere trahere niteretur. Consedimus & nos ante limen templi, cum & Patres Conscriptos iam consedissee intus conspicati essemus. Si qua sede quis sedebat, ea sedebat, nemine primum & altissimum locum, ut inter pontificem & cardinales in curia Romana consuevit, ambitiosius occupante. Fama tamen erat, nonnullos sub initium id male habuisse, adeo, ut de abitu cogitarint. Sed adduci non possum, ut credam. Rumor enim plerumque in deteriorem partem ualet. Interea apparitores sacri, amicti uestibus sat ad pompam religiosam compositis, ingenti frequentia paullo propius accedebant, & honore flexis genibus habito, templi ualuas obsecabant. Ego, grauitate tantorum uirorum conterritus, tarde immo iam sero alios Patres adhuc conscriptos uenisse putabam. Itaque tentauit adsurgere, & caput nudatum in terram deferre. Risit hanc trepidationem HILARIUS, contubernalis meus, & contine te, inquit comiter, amice stultissime, nil nisi aeditui sunt. Hoc facto, comes meus per rimam, in ostio improbe diductam, applicuerat oculum curiosum, uenerabilesque uiros uenerabunda speculabatur diligentia. Me quoque ad  
idem

idem spectaculum subinde amica manu inuitabat, donec a sapientioribus praecones sacri admoniti canora voce proclamarent: **VIDEANT PATRES CONSCRIPTI NE QUID DETRIMENTI RES ECCLESIASTICA CAPIAT.** Hoc cum ter admonita esset tota concionis frequentia, quisque sententiam suam de statu ecclesiae praesenti, *εὐχρημόνως* tamen *καὶ κατὰ τάξιν*, dicere est iussus, idque sine partium studio omni. Ita, inquit **HILARIUS**, non oportet horum sermones sine annotatione transire, statimque pugillares nostros ad manus sumimus. Ductis fortibus, cuidam **ZYGOPHILO** nomine, primum dicendi facultas facta est. Prodibat illico, nominatim a praecone quodam euocatus, cathedram in illo templo sacram occupaturus. Vir erat facie modesta, statura procera, grauitate singulari, ipsoque adspectu uenerabilis. Non dubitabamus, fore, ut huius uiri oratio prudenter habita cunctorum animos inter sese conciliatura coniuncturaque sit; spemque omnes conceperant, oratorem per silentium sua cogitata prolaturum *sed sine* non interrupto. Sed quam fallaces sunt hominum spes! uix ambonem sacrum memoratus **ZYGOPHILVS** ille adscenderat, uix uox eius a circumfidentibus percepta, cum quidam, qui multo ante, ob phrenesin chiliaasticam & ob intolerabilia *τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων* deliramenta, foras eiectus fuerat, nouo impetu, effractis ab altera templi parte foribus, in medium prosiliret, seque immiscens Patrum Conscriptorum uenerabili concioni, Stentore clamosior, fanatico spiritu afflatus, proclamaret:

**BO-**

BONA NOVA BONA NOVA  
 IN  
 MONTE ALBANO  
 VBI ALBIS CIRCVMFLVIT  
 PER  
 VIRVM DEI  
**DOMINVM IOCHIVM**  
 SACROSANCTAE THEOLOGIAE  
 DOCTOREM PASTOREM PROFESSOREM  
 EXCELLENTISSIMVM FIDELISSIMVMQVE  
 AVDITA.

His auditis concio primum silentium uelut iussa habuit: conclamant deinde pariter: *Turpiter reiiciendum esse hunc importunissimum hominem foras.* Dictum, factum. Illico enim non lingua solum ei est occlusa satellitum quorundam opera, sed et indignatio fere omnium est consecuta, adeo, ut senex quidam, citato pede accurrens, intentaret in oculos uociferantis BONA NOVA manus, totis spiritum hauriens uiribus, reclamitando:

B

Et

Et quid dicis? BONA NOVA? in monte Albano? Mentiris Cain! Mala noua potius, quam bona nobis nuntias. Albanum montem Albis, id est, מי מריבה, aqua contentionis, contradictionis, lerna rixarum iam circumfluit. Quid rerum tibi cum uiro Dei est? Quis te ad panegyrim hanc uocauit? Ultro huc iterum te apulisti, apage te a nobis cum tuis bonis nouis, et, ut Phryx sero sapiens, tandem aliquando disce, quid sit:

TVRPIVS EIICITVR QVAM NON ADMITTI-  
TVR HOSPEM

Plura sine dubio concitatus iusto Zelo senex adiecisset, nisi ZYGOPHILVS ipse, cuius laudandi gratia declamator importunus uenerat, eum interpellasset, omenque hoc inauspicatum detestatus, et, ut Deus laeua et sinistra quaeuis auerteret, precatus fuisset. Id cum persentisceret bona noua nuntians, antequam extruderetur, eo audaciae progressus est, ut ea, quae ore proferre cohibebatur, quasi re bene gesta, plagulis inscripta huc illucue spargeret. Qui enim semel, secundum CICERONEM, uerecundiae fines transiit, eum bene et nauiter oportet esse impudentem. Hoc igitur perfrietae frontis laudatore, iussu sapientum, summoto, cum plerorumque oculi curiosi bonis istis nouis intenti conspicerentur, nonnullorum rogatu, ne alias frustra tempus protraheretur, fastidiose multisque inuitis effectum est, ut BONA NOVA A IOHANNE VVILHELMO PETERSENIO PANEGYRICO DESCRIPTA LATINO praelegerentur publice, eo tamen consilio, ut, quae uiderentur motione digna, ab anagnoste hoc ad negotium delecto statim

tim

tim, sed breuissimis, inter legendum adiicerentur. ZYGOPHILVS, qui cathedram iam occupauerat, cogitatione non diu distorta, lectorem se carminis PETERSENIANI humanissime promisit, ut eo opportunior encomia, sibi cum inuidia aliorum tributa, eleuandi occasio esset. Quare se, annuentibus plerisque patribus conscriptis ad recitationem epigrammatis accinxit.

IOCH nomen ferale malis. Gens impia clamat:

Vincula rumpamus, non ea ferre placet. \*

Idem hic IOCH nomen dulce est, queis dulcia Christi,  
Sunt iuga; et haec humeris imposuere suis.

Limus ut hic durefcit, et haec ut cera liquefcit,

Vno eodemque igne, fax ea IOCHVS erit.

Diuerfis diuersus erit; culpatur, amatur.

Illum odere mali \*\*: sed pius omnis amat.

Dulce iugum Christi est \*\*\*; simul intolerabile. Possunt  
Hoc tolerare boni, non tolerare mali.

Haec ubi lecta dedit, paullulum respirans anagnostes laudatus, alios, ut quid sentirent, audacter dicerent, vultus sui comitate inuitare uidebatur nobis ante templi limen per rimam deductam obseruantibus. Nec deerant,

B 2

erant,

\* Psalm. II, 3. ubi mali de bonis dicunt: *Disrumpamus vincula eorum, et proiciamus a nobis iugum ipsorum.*

\*\* Sap. II, 15. *Iustus grauis est nobis etiam adspicere.*

\*\*\* Matth. XI, 30. *Iugum meum suauis est, et onus leue.*

erant, quae habebant, quod proferrent, modo temporis angustia omnes declamare permisisset. Unus e multis, aliorum ueluti nomine perorans, Stratagema, inquit, perquam notissimum mali est spiritus, conatus suos pietatis specie callide obtegere. HILARIVS aurem meam uellens, cum his, quae dicebantur, calamo excipiendis intentus admodum essem, me illius admonuit:

MALVS BONVM CVM SIMVLAT TVNC  
EST PESSIMVS

Utitur in miseris mortalibus circumscribendis, uel abutitur potius, ipso sacro codice, ut rerum imperiti eo facilius decipiantur. Ne credas colori, HILARIVS ad me se conuertens, inquit, huc enim pertinere autumo, quod in schola didici: FISTVLA DVLCI CANIT, AVES DVM DECIPIT AVCEPS. Has technas percalluerunt plerique omnes haeretici, probe scilicet a patre mendaciorum easdem edocti. Nec daemon parcat eneomnis, quibus pios ad coelum tollit. Sed cuius pretii laus et adulatio malorum spirituum ut, qui ea delectatur, in fine uidebit. Tolluntur pii in altum, ut, ni sibi in tempore prospexerint, lapsu grauiore ruant. Vere pii igitur numquam se laudibus nimium extolli ab aliis passi sunt, praesertim si suspicio esset: eas a malo proficisci spiritu. Sic ancillula quidem Philippensis, de qua in actis apostolorum capite decimo sexto legimus, habens *πνευμα πύθωνος* subsequebatur PAVLVM, ceterosque sanctos Apostolos, summis eosdem celebrans elogiis, clamans nimirum: *Isti homines serui sunt*

*sunt DEI illius altissimi, qui annuntiant vobis viam salutis!* Sed idem hoc moleste ferebat PAVLLVS, licet verissima essent, quae dicta fuerant: quia suspicio suboriri poterat, apostolos cum malis spiritibus habere commercium. Spiritus enim impurus interdum vera dicit, sed non bono fine. Commendat seruos DEI, ut et CHRISTVM ipsum Matth. VIII, 29. Marc. I, 24. uel per adulationem, ne expellatur: uel ut suspicionem iniiciat hominibus, istos secum consentire, et sic auctoritatem sibi conciliet, aut istorum doctrinam reddat suspectam, aut ut, sicut eis adrogata, ad fouendos errores perniciosos eorum doctrinae a se admistos, abutatur. Quae ad hunc locum commentatus est IOH. LVD. VVOLZOGENIVS p. 102. commentarii in acta apostolorum. Quia PAVLLVS horum stratagematum Satanae non esset ignarus 2. Cor. 2, 11. hos suspectos clamores indigne ferens, seque conuertens spiritui illi dixit: *Mando tibi per nomen IESV CHRISTI, ut ex eas ab ea.* Praeclarum hoc nobis, PATRES CONSCRIPTI, exemplum ad imitandum propositum esto, ut scilicet semper in aliorum de nostra pietate, sanctitate, eruditione, & sic reliqua, laudibus apud nos cogitemus: **LATET ANGVIS IN HERBA!** HILARIVS meus huius Virgiliani memor, alium adhuc, inquit, noui sententiam, si parallelismum desideres, apud PHAEDRVM **HABENT INSIDIAS HOMINIS BLANDITIAE MALI.** Omnis igitur aditus malis praeccludendus est Phaed. Lib. I. fab. 19. Malorum enim collaudatio similis est benignitati furis, qua linguam canis apud Phaedrum Lib. I. fab. 23. uolebat occludere, ne latraret pro re domini.

Summum B 3 *Summum abstrum* Sed

932H

Sed pulchre loquens introducitur canis :

Multum falleris,

namque ista subita me iubet benignitas  
uigilare, facias ne mea culpa lucrum.

Non molestum erat, quia orator minimam  
iniiciens moram paullo post, quo coeperat, per-  
geret : Neque nostris animis excidat umquam id,  
quod Seruator optimus nobis in mandatis dedit :  
*Cauete uobis a pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos cum ue-*  
*stimentis ouium, sed intus et in cute sunt lupi rapaces.*  
Numquam profecto hi ouibus nuntiaturi sunt BONA  
NOVA. Annuebat his omnibus ZYGOPHILVS noster  
et gestibus, et uerbis, statim quippe, cum ille desisset,  
ea, quae publice dicta erant, alta uoce comprobans.  
Adsequi autem cuncta nobis in integro non erat, cum  
strepitus quidam, ( quonam fato, nescio, ) suboriretur.  
Silentio paullo post facto ad carmen PETERSENII  
reditum est :

Quae noua lux oritur mediis enata tenebris ?

Miranda cerno ingentia,

Mirabilem Catastrophem!

Si sol, ut memorant ueri sancto ore Prophetae,

Mediae in diei tempore

Suo recedit lumine.

Aequè mirandum est, si sol illuminat orbem

Sub ipsa noctis tempora,

Luxque ipsa torquet malos.

In monte Albano, quo Viteberga notatur

Vbi Albis urbi allabitur

Miranda multa cernimus,

Hæte-



Haectenus horrendis squalebant cuncta tenebris,  
 Caligo multa inhorruit,  
 Et bubo uocem sustulit.

Ipse ZYGOPHILVS haec recitans uerba balbutiente id fecit lingua, cumque grauiter ingemuisset, Nunc demum perspicio, inquit, spiritu maleuolo afflatum fuisse carminis huius auctorem. Feralis hic bubo uocem sustulit. Hic se prodit mendaciorum artifex. Diabolus, ut concordiam Christianam e medio tollat, unum uel alterum Doctorem laudat, ceteros omnes, qui Vitebergae floruerunt, et adhuc florent, uituperat. Hoc est zizanium, & semen discordiarum dispergere inter triticum. Hoc peius genus spirituum malorum esse uidetur, quam illud πνεῦμα πύθωνος, de quo in actis legimus. Hoc laudatore nil quicquam insidiosius esse potest. Verbis subdolis hunc laudat, ut elatum; illum uituperat, ut iratum reddat. Hoc a PETERSENIO in nostrum coetum improbo ausu iniectum pomum *είδος* caueamus, fugiamus cane et angue peius. Ut scrupulos & terrores infirmis incutiat conscientias, ut profanorum hominum animis contemptum uerbi inspiret diuini, ueritates huc usque Vitebergae traditas in dubium uocat.

In monte Albano, quo Viteberga notatur,  
 Haectenus horrendis squalebant cuncta tenebris.

His in uerbis prodit se tenebrarum spiritus, nihilque profecto aliud agit, quam ut clarissimis rebus obducatur tenebras, et imperitioribus ueritatis lucem subducatur, audacter mendacia mendaciis cumulando. Contubernalis  
 meus

meus HILARIUS, sententiarum quasi condus promus, in  
aurem mihi infusurrabat: QUID TVM?

IGNOTOS FALLIT NOTIS EST DERISVI.

Sed quae, malum! haec hominis priuati audacia est,  
quae impudentia, declamabat ZYGOPHILVS noster,  
turpis notae maculam uniuerſae academiae inurere?  
Certe Deus se aequiorem iudicem praebuit Sodomae at-  
que Gomorrae, cum eius oculis omnia pateant, quam  
hic homuncio, qui talpa coecior est. nec ullum ius iudi-  
candi ſeruulum uiliffimum habet, tantum abeſt, ut uni-  
uerſam academiam tot meritiffimis uiris claram pro li-  
bidine ſua iudicare immo damnare poſſit. Haec res mi-  
hi adeo indigna uidetur, ut me uix continere queam,  
quin haec famoſa ſcommata abiiciam, pedibusque con-  
culcem. Adeo impune Deo, ueritati, multisque bonis  
illudere? indignum facinus eſt! Valde probabatur ſa-  
pientioribus, plauſuque excipiebatur haecce ZYGO-  
PHILL ex iuſto dolore profecta oratio, eiusque filum non  
interrupiffent, niſi carminis huius praelectio certo tem-  
poris ſpatio definita tuiffet. Exhilaratus mirum in mo-  
dum ZYGOPHILVS, quod ſapientum iudicio a turpiſſi-  
ma collisionis cum hoc fanatico ſuſpicionem dimiffus ui-  
deretur, pacatius ad reliqua ſucceſſit:

Iam ſubito incepit Deus almam ſpargere lucem;

Pulchraeque fulſerunt faces;

Perrupit alma ueritas.

Nam qui olim fidem coeli perſtrinxit amicos,

Sibique ſoli nupſerat,

Damnatus eſt haeretifex,

LV-

LVTHERI cathedram qui conculcauerat auctor,

Iam factus est inglorius

Rixator is VVERNSDORFIVS.

ZYGOPHILVS noster, calumniatorem indigne ferens,  
non legebat tantum solito lentius quasi deficiens; sed  
etiam interferebat:

VALEANT QUI INTER NOS DISSIDIUM VOLVNT  
In iis, quae sequuntur, canino non minus usus est poeta  
ingenio, teterrimoque latratu:

Quam foede ARNOLDVM depinxit toruus alastor!

(ARNOLDVS ET PETERSENIVS PAR NOBILE  
FRATRVM!)

Heu quot scetet calumniis,

Et falsa multa effutiit.

ZYGOPHILVS, manibus inter se contritis, uere, ait,  
huic nugatori exprobrare idem possumus, quod alios  
insimulat. HILARIVS se continere non poterat, quin re-  
citaret polytrilleton illud:

TVRPE EST MAGISTRO QVEM CVLPA REDAR-  
GVIT IPSVM.

ZYGOPHILVS vero maiori zelo argumentum suum  
persequebatur:

Ne iudicate, ut ne iudicemini. Quo enim iu-  
dicio iudicatis, iudicabimini: et qua mensura me-  
timini, eadem contra metietur aliquis uobis. Quid  
autem spectas festucam, quae est in oculo fratris  
tui, trabem uero, quae est in oculo tuo, non ani-  
maduertis? Hypocrita, eiice primum trabem illam ex  
oculo tuo, et tum dispicies, ut eiicias festucam ex oculo

C

fratris

fratris tui. Nonne prava conuicia in auctoris semper  
caput recidunt?

Quam foede pinxit VVERNSDORFVM toruus  
alastor!

Heu quot scatet calumniis,  
Et falsa multa effutiit.

Sic in te recidunt tuae calumniae! Sed pili mihi  
horrent, quod toruus hicce alastor etiam adhuc alios  
infestat uiros, qui optime de egregio publico sunt me-  
riti, et adhuc bene merentur:

Additur huic socius, fidamque his praebet opellam,

SCHROEERVS ille pertinax,  
Quem Dresda iuste reiicit.

Substrepitat pectus LOESHERI,  
alteque remugit,

Clamores et silentium

Et corde pallet anxio.

ZYGOPHILVS dum SCHROEERIANVM et LOE-  
SCHERIANVM, magna nomina. pronuntiaret, hono-  
ris caussa adiciebat: VALEANT QVI INTER NOS  
DISSIDIUM VOLVNT. Nunc poeta academiam Vite-  
bergensem iterum dente rodit aspero:

O semper rixosa academia ad Albim!

Quos dente non petis uiros?

Te semper illis praefereus.

Mirum, quo euadant fanatici huius furibundi calumniae!  
Quos dente non petit uiros? non singulas personas, sed  
academias uniuersas! nec uiuos tantum uiros, sed mor-  
tuos etiam! Adeo ferox est, ut, apud Marcum capite  
quin-

quinto, ille furiosus, quem ne catenis quidem quisquam poterat uincire aut domare. E monumentis occurrit nobis, in quo est spiritus impurus. **PETERSENIUS** nimirum quodam quasi furiarum genere inquietatus mortuos quosdam theologos iniuria afficit, eisque petulantiter insultat:

Quos non haereticos fecit **CALOVIVS** ille?

Quos non uocat Babelicos?

Hic zelo iniquo incanduit.

Quos non aggressus **NEVMANNVS** ille professor?

Aggressus omnes qui nouum

Sperant futurum saeculum.

Huius coeca uiri legit uestigia **MEYER**

Hammonis urbis fax, tuba,

Commune belli clasticum.

Hos sequitur demens furis armatus et armis

Rostochiensis **FECHTIVS**

Coelum **SPENERO** disputans.

Nemo hoc sibi adsumat, quisquis sit mortalium, ut uiuos et mortuos pro libidine sua diiudicare audeat. **IESVS CHRISTVS** est definitus a **DEO** iudex uiuorum ac mortuorum, qui illustraturus est res tenebris occultatas, et manifesta faciet consilia cordium: tunc laus erit unicuique a **DEO**. Quis **PETERSENIO** aliisque factiosis ante praestitutum tempus iudicandi, et *Begeßer* ad arbitrium suum distribuendi, facultatem concessit?

Nec satis haec: ipse innocuus pius **ARNDIVS** usque suspectus illis redditur.

Neque eiusmodi suspiciosissima iudicia, si dicendum,

20

quod res est, toleranda sunt, quae pietatem impediunt  
ac prope euertunt. Primum locum hocce obstaculum  
meretur in oratione de nonnullis pietatis impedimentis,  
quam Vitebergae MDIOCCXXVIII. edidit PAVLLVS  
ROEBERVS, doctor academiae nostrae modestia, pie-  
tate, humanitate, & innocentia aequae clarus, ac ARN-  
DIVS :

Qui tot bonos lucratus est.

Sed iam ingens facta est harum mutatio rerum,

Latusque nudatum improbis

Vnicuique cernitur.

Nectulit hoc sumum, quod dirigit omnia numen,

Pellunt columbae vultures,

Ouisque & agnus subsilit.

Sancta etenim bonitas dignum sibi legit Achillem,

Virumque diuinum in suos

Immisit aduersarios.

IOCH nomen ferale malis, fortissimus heros

Sionis aeternae Ioel

Inuadit hostes masculas.

Et noluit Aufonius, fasces mutantur aratro,

Quae bobus ante ademerat

Imponit hostibus iuga.

Sic iuga, seque ipsum iam rixatoribus illis

Magno repletus numine

Infligit hosque suppressit.

Contra SPENERVM se armauit sacra facultas

Totius eius ordinis

Nec orthodoxum agnouerat,

Respon-

Respondit SPENERVS, et omnis natio sancta,  
Victoriam sponsonderat  
Pudore suffundens uiros.

Nam Viteberga tanta est fiducia mentis  
SPENERVM apertis laudibus  
Vel hostium in praesentia

Theologum laudat, nomenque illius ad astra  
IOCH tollit, & laudat uirum,  
Hallense fidus, FRANCKIVM.

Sic digno pugnatui, annat victoria testes,  
Haec est bonorum nobilis  
Surgens sepulcris gloria.

Huic alii sese adfociant, caussamque tuentur,  
MARBERGER ille VIR DEI  
Zelo sacrato praeditus

Exspectatus adest, qui Norica templa relinquens  
Et euocanti paruit,  
Atque hostibus guttura premit.

Vtque lutum pedibus figulus conculcat arenae,  
Et frangitur uas fictile,  
Sic ille iniquos supprimit.

Haec inter permultos altissimos gemitus pronun-  
tiauera anagnostes noster ZYGOPHILVS, frequenter  
inter legendum *πνεῦμα πύθωνος! πνεῦμα πύθωνος!* et peius  
quid exclamans, cum hanc continentem magis incipe-  
ret orationem? Semper, PATRES CONSCRIPTI, ea-  
dem luditur fabula. Qui statum ecclesiae Corinthiacae  
PAVLLI temporibus, praesentemque nostri coetus sta-  
tum recte norit, contentiones & factiones amborum

nouerit, non ita diffimili sunt ratione. Nam, conspiratis olim Corinthi factionum partibus, alii hunc uel illum ecclesiae doctorem nimium laudantes, alii uero omni eosdem inquinantes contumelia, frequentes ierant in alia omnia: Ego quidem sum *PAVLLI*, inquit unus: Alter, Ego autem *APOLLO*; Tertius, Ego uero *CE-PHAE*. Hos dissolutos mores sanctus apostolus ut compesceret, sciscitabatur ex Corinthiis in epistola priori ad eos missa: Num dispertitus sit *CHRISTVS*? num *PAVLLVS* cruci sit pro illis adfixus? num in no-men *PAVLLI* baptizati fuerint? Spectatum satis puto, et magnum exemplum modestiae, quod *PAVLLVS* prudentissimo consilio nobis lococitato reliquit, quod non nisi eos reprehenderit durius, qui sibi nimium tri-buerant. Hac nostra tempestate idem nobis malum in-testinum ex prauis hominum affectibus repullulauit, quod manat, et ita corroboratur quotidie, ut ego quidem et coetui & concordiae diffidam euangelicorum, ni *DEVS* quasi ex machina. Praeiuiciis academiaram, docen-tiumque in iis singulorum repleta sunt omnia. Quis-que gratiae sibi conciliandae causa se conformat non ad *DEI*, sed ad hominis cuiusdam uoluntatem. Hominem sequitur non *DEVM*; hominis uestigia sibi tuenda esse putat, non *CHRISTI*; In hominis saepe uita ecclesiae totius salutem, non in *DEI* uirtute repositam autumat.

Obstu-

\* So schrieb neulich ein studiosus von einem seiner aca-demischen Lehrer; *Unser lieber - - - ist eine zeitlang sehr schwach*



Obstupefcite coeli de hac re, et horrefcite! Nam duo mala perpetrat populus meus, dictum Iehouae: Me dereliquerunt fcaturiginem aquarum perennium, ut effoderent fibi cisternas, cisternas fractas, quae non capiunt aquas. Peruenerunt huper in meas manus litterae, quae etiam, ni fallor, iam ad manus sunt, in quibus illarum auctor haecce ad amicum de suo erga patronum et promotorem studio scripserat: *Ego quidem, ut debeo, et ut tute mihi praecipisti, et ut me piosus et alit asque cogit, me ad promotoris mei rationes adiungo, fructumque iam uberrimum illius, quod est apud Petronium, MANVS MANVM LAVAT, percipio. Sed te non praeterit, quam sit difficile sententias in theologia, praesertim rectas & confirmatas, deponere. Veruntamen ipse me, ut gratum clientem decet, conformo ad eius hypotheses, a quibus honeste ob multa eius in me collata beneficia dissentire non possum: neque id facio, ut forsitan quibusdam uideor, simulatione, sed gratam mentem declarandi cupiditate. Tantum enim animi inductio et me hercule amor erga patronum, collegam nunc me-*

*schwach gewesen, es laesst sich aber nunmehr ein vvenig zur Besserung an. Gott helffe ihm ferner, Vns, und der ganzen Christenheit zum besten. Man hüte sich bey seiner etvva guten Meinung, dass man nicht zu vveit gehe, sich auf Menschen alzufehr verlasse, halte fleisch vor seinen arm, und vveiche also mit seinem hertzen von dem Herrn. Ier. XVII, 5. Man schlage nach, vvas der selige Lutherus hat im vierten Altenburgischen theile fol. 757. a und b*

*um amantissimum, apud me ualet, ut quae illi utilia sunt, et quae ille uult, ea mihi omnia iam recta et uera uideantur, neque, ut ego arbitror, errarent, ne aduersarii quidem eius, si cum pares esse non possent, pugnare desisterent. Sed tamen me sibi ille nondum ita adfixum habet, ut ego eius caussa alios adoriar iurgio, eosque controuersus diuexem. Haec ipsa tolerabilia essent, si ad ueritatem & concordiam ituris uiam facerent. Sed eiusmodi partium studio, quod beneficii, laudibus, & ornamenti propositis conflatur, hoc tantum proficiunt clientes, ut prauo in suos patronos fauore prolabantur sensim, sensimque in deterius, neglecto plane sincero ueritatis studio. Leuibus atque inanibus ex caussis lites in dies excitant grauiore, quibus fit, ut corpus Euangelicorum magis magisque eneruetur et cadat. Pace uestra, PATRES CONSCRIPTI, liceat dixisse: Haud pauci nostrum ueritatem perdiderunt. Non tamen omnes; ut pontificii calumniantur. Hoc uerum est, (uereor, ne improbe dicam,): Quot doctores, tot fere factiones! Minimum autem in his factionibus doctores peccant, sed sectatoribus peruersis culpa plerumque tribuenda est. Taceo eiusmodi male affectos sectatores, in quibus recensendis discrimen non facio, PETERSENII diuulsione repudiata, ARNDIANOS, SPERNERIANOS, CARPZOVIANOS, NEVMANNIANOS, ITTIGIANOS, RECHENBERGIANOS, PFEIFFERINOS, FRANKIANOS, BREITHAVPTIANOS, LOESCHERIANOS, GYPRIANOS, BVDDEANOS, VVEISSENBORNIANOS, VVERNSDORFIANOS, MARBERGERIANOS, PFAFFIANOS, IOCHIANOS, et mille praeterea alios. Hos omnes, inquam,*

inquam, silentio praetereo, et secundum PAVLLINAE modestiae exemplum, eos tantum alloquor, qui, meo nomine abusi, se ZYGOPHILIANOS, quasi aliquid, non quod pueri in faba, inuenissent, professi sunt. Num CHRISTVS, o mei, dispersus est? num ego pro uobis cruci adfixus? Profecto adhuc carnales estis, quotquot studio partium abrepti estis! Quum enim inter uos sint inuidia, et contentio, & dissidia, uerbis apostoli PAVLLI uitor, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Mihi propterea PETERSENII inuisum est carmen, quod studia partium inspirat, exemploque hostis infensissimi zizania dispergit inter triticum. Caueamus nobis ab hoc pomae <sup>caedat</sup> ~~caedat~~ Nemo cum huius carminis auro gloriatur in hominibus! Ne fluctuemus, et circumferamur quouis uento doctrinae, in hominum alea, per ueteratoriam ad artificiose fallendum uersutiam. Vera, et, ut ita dicam, casta pietatis doctrina non est maculosa, turgida, fluctuans, nec adeo humana, sed diuina certitudine exsurgit. Haec uero neglecta, nuper uentosa ista haec et rixosa loquacitas sultulit critas, animosque iuuenum, sublimia et altiora petentes, ueluti pestilentii quodam sidere afflavit, simulque concordia christiana stetit, et obmutuit. Haec ubi dicta dedit, applaudentibus ueritatis cultoribus cunctis, ad carminis praelectionem ZYGOPHILVS rediit.

Iam dudum quicumque pii orauere tonantem,  
 Vt, quos maligni obiecerint,  
 Mox iudicentur seruuli.

D

Hoc

Hoc dudum optauit uicina academia ad Elmum,  
 Quae foeda dicta et scommata  
 Audiuit a CALOVIO.

Dum haec legebantur, commilito meus, laudatus HILARIVS se ad me conuertens notabat hanc PETERSENII stropham Virgiliano illo:

IMPOSITVM CINEREM ET SOPITOS SV-  
 SCITAT IGNES

Odiosus mihi erat HILARIVS, quia, quæ ex carmine PETERSENII sequuntur, mihi scribenti fere excidissent.

Illud idem optauit, quae semper floruit Hala,  
 Quam numquam amastis inuidi,  
 Genusque sanctum carpitis.

Garrit et iactat poeta NATIONEM SANCTAM, ut supra; hic GENVS SANCTVM; infra SANCTVLOS. Sed uideat ipse, ne in ea natione et generatione reperia- tur, quae munda est et sancta in oculis suis, quamuis a sorde sua non sit abluta, ut SALOMONEM ad testi- monium citem Prou. xxx, 12.

Sic uestra sensit non raro Iena cachinnos  
 MAIVSQVE Gießae phosphorus,  
 Ab ore uestro arroditur.

Nec placuit uobis Altorfi Norica sedes,  
 Tubinga nec acceptior.  
 Kiloniumue Holfatiae.

In cunctos patulo iacta est mala lingua palato,  
 Atque alter estis Ismael,  
 Qui bella amaui mutua.

Aspi-

Aspicit hoc Prussus Rex immedicabile uulnus,  
 Superbiaeque originem,  
 Vetatque adire Saxones,  
 Suecus, hyperborea nuper commotus in aula,  
 Damnauit improbum modum,  
 Quo sanctulos describitis.  
 Indignum hoc facinus uestra ipsa academia nouit;  
 Has iureconsulti graues  
 Odere rixas asperas.  
 Et medici, Hippocratem qui uel legere Galenum,  
 Relictiunt dieteria,  
 Quae concione funditis.  
 Ipsum adeo uulgus, cui non uis aspera cordi est,  
 Salutis optat *Reuola*  
 IOCHIque sentit spiritum.  
 Exultans animo sancto dat iubila coelo,  
 Quod uerba tam potentia  
 E rostris late defluant.

Hoc falsis curae est doctoribus, ut daemonis impulsu  
 hominum animos in dignoscendis spiritibus a sacro co-  
 dice abducant. Sed qui non sacram consulunt scriptu-  
 ram, et secundum eam Spiritus diiudicant, et secundum  
 legem et contestationem diuinam pronuntiant, iis, edi-  
 cente DEO per Iesaiam capite octauo, nulla erit aurora,  
 nullaque lucis usura. Scriptura sacra sola lapis est lydi-  
 us, et cynosura sola minime fallax, ad quam ueritas do-  
 ctrinae, & doctorum bonitas reuocari debet. Non iure  
 consultorum auctoritas, medicorum applausus & aura  
 popularis denique friuola hic in censum uenit. Auram

74

popularem non a sapientibus esse captandam, ueritatis  
coelestis expertes etiam quam maxime intellexerunt.  
Plerumque enim quae popularem admirationem habent,  
delectationem sapientibus nullam adferunt. Et PHAE-  
DRVS, elegantioris carminis artifex, de se profitetur,  
interferebat HILARIVS meus pro more suo:

INLITTERATVM PLAVSVM NON DESIDERO.

Prospiciat ergo multo magis sapientum christianorum  
quisque sibi suaeque fidei concreditorum saluti, ne ad plebi-  
colarum auraeque popularis captatorum castra transeat,  
et sic ueritatem, uiam, uitam, id est, *CHRISTVM* ipsum  
amittat. Nobis sit cum *PAVLO* pro minimo, quod ab ho-  
minibus aut ab humano iudicio diiudicemur. Sed ad reci-  
tationem carminis pergo.

Quis negat exortam placido de fidere lucem?

Audita uox est turturis,

Ver floridum comparuit

Promittunt uicina pii bona tempora regni,

Nox atra quamuis ingruat,

Magni Antichristi tempore;

Attamen illustri remanet uictoria luci,

Perrumpet alma ueritas,

Dies sequetur optima.

Haec duone dubites simul hic consistere posse,

Caligo Memphim occupat,

In Gosen lux intermicat.

Vocem intende tuam namque hoc potes optime

CRELLI,

Qui plenus alto spiritu

Poeta natus desuper.

Tu

Tu carmen sublime canas, celsoque cothurno,  
 Incedas totus entheus  
 ENTHEVS NOSTER ALIOS EX SVO INGENIO  
 FINGIT.

Te digna fac heroica.  
 Solue DEO summas sincero pectore grates,  
 Quod IOCHIVM donauerit,  
 Qui curua cuncta corrigit.

Quae DEO propria atque perpetua sunt, ea non de-  
 cet hominibus tribuere. Curua cuncta corrigens solus  
 DEVS est. Gloriam hanc alteri non dabit. Qui gloria-  
 tur, in Domino gloriator. Modo PETERSENIUS tur-  
 gida contraxisset uela!

Pergit buccinator:

Tu uero, vir chare DEO, fortissime IOCHI,

Leuato uocem, ceu tubam

Promissa surgunt tempora.

Heluetiis duo cantones iam fortiter urgent,

Lucerna et illud Schvvizium

Ter sancta uolui biblia.

Vtinam modo ter sancta illa biblia hucusque multis in  
 locis ab auctore huius carminis per tot religionis calu-  
 mnyas, id est, *Ψευδευανείας* perplexas et contortas non  
 contaminata essent!

Sed audiamus reliqua:

Aegypti seruos solui Morauia cernit,

Quos ZINZENDORFIVS fouet,

Ipsisque tecta construit.

Modo non Platoniam, ne grauius quid, fanaticam forsi-  
 fitan, meditans rempublicam damno suo nimis sero tan-

dem deprehendat, se oleum et operam omnino perdidisse.  
 Paucula supersunt:

Te quoque supremi legit sibi dextra ministrum,  
 Euangelista IOCH pie,  
 Impone ceteris iugum,  
 Qui dicunt, onus esse DEI, tu fortiter insta,  
 Si ueritatem dixeris,  
 Te ueritas tuebitur.

Vix uerba carminis ultima audita erant, cum ZYGOPHILO ex cathedra decedenti alius p[er]senex sorte delectus in eius locum succederet. Euocabatur a praecone nominatim, sed ob murmurantis concionis fremitum, uox ad nostras aures non peruenit; nec postea, licet, quis esset senex, diligentissima sciscitatione quaesiuerim, certiora de eo extricare potui. Ille autem his uerbis, screatu praemisso, concionem alloqui coepit:

*Πολλάκι καὶ κηπῶς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.*

Latine repetere mihi hodie multas ob causas necesse uisum est:

Saepe etiam est olitor ualde opportuna locutus.

Hoc de me, PATRES CONSCRIPTI, et de praelecti carminis auctore dictum uolo. De me, ut beneuolas mihi aures dicenti commodare haud dedignemini, per silentium expectantes, num ego quoque quaedam opportuna sim locuturus. De poeta autem in tantum dictum uolo, in quantum mihi uersus praelecti ultimi id prouerbium comprobasse PETERSENII exemplo uisum est.

sunt



sunt, dum etiam ille sub finem aliquando ualde opportuna locutus sit :

Si ueritatem dixeris,  
Te ueritas tuebitur.

Nemo existimet, si clausula bona, omnia bona. Eam enim magis fortunae tribuo, quam sapientiae auctoris. Gladium PETERSENIUS nobis imprudens tradidit, quo ipse iugulare queat. Age uersifex, qui, ut forex, ipso tuo iudicio peris :

Si ueritatem dixeris,  
Te ueritas tuebitur.

Vtinam ueritatem dixisses, non te tua laude fraudarem. Nec fraudabo in posterum, si agnoscis tuos errores, tuaque conuicia, quibus uiros optimos, uiuos et mortuos proscindere non erubuisti. Ast, quid mihi rei cum entheo, qui inani tumet superbia, me dubio procul non aliter alto supercilio intuens : ac si sus Minervam. Spiritus enim erroris, teste IGNATIO in epistola ad Ephesios ( p. 179. editionis Ittigianae ) sibi soli placens est, acerbus, plenus extans falsiloquio, seductor, lubricus, superbus, arrogans, uerbosus, dissonus, immensuratus, nigriformis, tumidus. Ad frequentiam propterea hanc me potius, PATRES CONSCRIPTI, conuerto, iunioresque potissimum commonefacio, reliquos enim pulchre iam scire haec omnia arbitror, ( sed si haec scitis, beati estis, si etiam facitis ) ut ueritatis studio sine προσωποληψία, id est, sine personarum

narum, addo, et locorum respectu omni, gnauiter operam dare uelitis, scrutando nimirum dies noctesque et attente meditando scripturas sacras. Nemo paternas meas admonitiones spernat, sicque existimet, se idem hoc diu calluisse. Multi enim, ut ait Seneca, ad sapientiam peruenissent, nisi se iam eo peruenisse putassent. Veritatibus sacrarum litterarum quam diligentissime operam date, non illis adsimiles, qui suauibus mortalium somniis, sententiisque paradoxis imbuti cruda adhuc studia, neglectis doctrinis philologiae et philosophiae utilioribus, in concionem sacram propellunt, ibique uagabundo nugandi modo, uerbosioribusque strophis sibi famam acquirunt. Eiusmodi homunciones dum mysteria sacra, sibi saepe ipsis ignota, aliis publicare sustinent, audacter id faciunt, terram coelo, diuina humanis, quadrata rotundis misere miscentes. Mira res est: plus docent, quam sciunt. Huius farinae noui Monachum, qui ex sacro suggestu somniorum interpretamenta, spectrorum deliramenta\*, et uitreatracta\*\*, ut cuiusdam illustris liberalitas pira, cerasa,

\* Der heilige Kuno haette bey seinem Sterben in seiner Kammer 15000. Gespenster oder Teuffel gesehen.

\*\* Gleichvve der Rabe nicht vvieder zu seinem Neste kaeme, vvenn man kleingeschmissene Glaeser hinnein legte: also kaeme der schvvartze hoellische Rabe auch nicht vvieder in das Hertz, vvo gebrochene Seuffzer sich darinnen befaenden, ia das Hertz selbst zerschmissen und zerschlagen vvaere. NB. Man hat gnug am VVorte Gottes, vvenn man recht lehren vvill. Sir. 34, 8. Collat. 1. Tim. 4, 7. 1. Tim. 6, 20. 2. Tim. 1, 13, 14.

et nuces pueris, auditoribus suis iactaret. Alii meliora quidem edocti, cum ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσεβείαν publici saporis non esse persentiscant, et, quod rarissimum est, miram hominum paucitatem amare bonam mentem animaduertant, cum insanientibus furere incipiunt. Ne igitur soli in auditorijs suis relinquuntur, dicunt, quae ad palatum cuiusuis esse putent. Sed sic non ueritas dicitur. Iuuabit hic Agamemnonem apud Petronium auduisse: *Ni dixerint, quae auditores probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquuntur. Sicut ficti adultores, cum coenas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant, gratisimum auditoribus fore: nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quaedam insidias auribus fecerint.* Sic sacrae eloquentiae magister, nui tamquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo. Itaque plerique, sicut omnia, doctrinas quoque diuinas, quasi plane arbitrii essent humani, pro libidine sua suo iure, ambitioniue donant. Sic ueritas amittitur, amisso eius criterio: et sic in errores cum pertinacia defendendos lapsus est facillimus. Duo saepe tantum modo ministri in oppidulo uno reperiuntur, qui nihilominus dissident inter sese, et discordant, controversias dudum sopitas de lana caprina, ne nihil agere uideantur, magno conatu recoquendo. Haec est amara nostrae tempestatis radix, quae ex ambitione plerumque propullulat, et ex qua pleraeque haereses in ecclesia, et contentiones in statu politico

E

litico

17

litico originem suam duxerunt. Quae enim pestis ambitio sit et reipublicae, et ecclesiae, historicorum monumenta satis confirmant. Roma, orbis terrarum olim domina, quot quantis casibus, ruinis, vastationibus per ambitiosos fuit exposita! **AVCTOR** *historiae quatuor Ciceronum*, duos ante annos in lucem Hagae comitum emissae, reipublicae liberae Romanorum eversionem soli ambitioni, foecundae contentionum factionumque matri, unice tribuit. Inter alia de hoc monstro inquit: L'ambition est un hidre, qui en fait renaitre mille. ( pag. 189. cit. loc. ) Hoc malum in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. Disputando interdum aestuosius nimisque acriter de bonis operibus, mala operantur. Qui subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad utilitatem communem parum, teste **CICERONE**. Veritatis tamen inuestigationem ut plurimum in depravationem mutant, eruditas nimirum disceptationes, more plebeio inimicitias contaminando, adeo, ut odii prope maioribus certent, quam viribus. Cavendum igitur sedulo, ne nimio erga nos ipsos amore monstrum illud alatur foueaturque: ne nos titillet gloriae nostrae cum aliorum contemptu mixta gloria. Aliter si fit, de tranquillitate nostri coetus, eiusque concordia actum est. **PAVLLVM SLEVOGTIVM** linguarum orientalium in academia Ienensi olim Professorem celeberrimum beati patris mei albo amicorum memoriae causa anno **CIO IO CXXXV.** inseruisse meminisse

mini: *si elatio in uirtutem abierit, quam misere agent simpliciore!* Videant itaque PATRES CONSCRIPTI, in tempore, ne res nostra ecclesiastica quid detrimenti capiat. Prospiciant, ne qua radix amara suppullulans obturbet, ac per hanc polluantur multi, monente PAVLLO apostolo in epistola ad Hebraeos, capite duodecimo. Obseruent sapientissimum illud grauis cuiusdam uiri *haec de hoc consilium: In necessariis ueritatem, in non necessariis tolerantiam, in omnibus charitatem* esse colendam. Praesertim autem fortiter ueritatis instandum est uestigiis, quae CHRISTVS nobis, ut subsequeremur ea, reliquit. Super hanc petram aedificat Seruator suam ecclesiam, et portae inferorum non superabunt eam. Agite igitur, prauum erga uos ipsos fauorem abiicite, damnate, fugite, neque hoc malo abrepti uos ipsos inuicem diuexate infectanter & grauiter. Sed sectamini potius pacem cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo uidebit dominum. Praeceptum hoc nobis dedit uerus magister, qui solus audiendus est: *Vt alii alios diligamus, sicut is nos propterea dilexit, ut nos etiam diligamus alii alios.* Ex hoc omnes cognoscent, nos esse discipulos IESV CHRISTI, si charitatem habuerimus alii in alios.

Si ueritatem dixero,  
Me ueritas tuebitur.  
DIXI,

Hanc

12

Hanc ueritatis amorisque plenam orationem  
 multae, et ne me fallunt omnia, secundae admur-  
 murationes consequebantur, donec uoce praeconis  
**ILICET**, antiquo more, audita, iudicium sapien-  
 tum dimissum est. **HOC OBTRACTARE**  
**SI VOLET MALIGNITAS OB-**  
**TRACTET LICET**





